



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCCX. ad annum MLXXIII.

Parisiis, 1644

Conventvs Episcoporvm In Ecclesia Sancti Vincentii Lavdvnensis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15625

vt canonicam super hac præsumptione Synodus proferret sententiam. Iubentur ergo sanctæ legis catholicæ recitari capitula. Quibus recitatis, secundum sacrorum Canonum, & sanctorum decreta patrum Sixti, Alexandri, Innocentii, Zosimi, Bonifacii, Cælestini, Leonis, Symmachi, ceterorumque sanctorum ecclesiæ doctorum, excommunicauerunt, atque ab ecclesiæ Dei gremio repulerunt prædictum Hugonem Rhemensis ecclesiæ peruaforem, donec ad pœnitentiam & dignam satisfactionem venire procuraret. Ceteris quoque diebus tractata sunt quædam necessaria de incestis coniugiis, & ecclesiis, quæ presbyteris in partibus Germaniæ dabantur, imo venundabantur indebite, & auferebantur a laicis illicite. Prohibitum igitur atque statutum est, ne id omnino præsumeretur ab aliquo. Sed & de aliis ecclesiæ Dei vtilitatibus tractata sunt & definita nonnulla.

ANNO
CHRISTI
948.

NOTA IACOBI SIRMONDI

SOCIETATIS IESV.

Synodi eiusdem.] Narrationis huius prior pars, quæ Artaldi epistolam ad Synodum antecedit, ex Flodoardi chronico petita est, epistola ex historia Rhemensi eiusdem. Quæ vero epistolæ subiiciuntur, eadem ad verbum leguntur in chronico & in historia. Ceterum in elencho episcoporum Synodi quædam interpolata paulo aliter quam apud Flodoardum.

CONVENTVS
EPISCOPORVM IN ECCLESIA
SANCTI VINCENTII LAVDVNENSIS.

DE hoc episcoporum Conuentu, eiusque actis, scribit in chronico Flodoardus, ubi res bellicas a Ludouico rege, Lothariensibusque cum eo Conrado duce coniunctis, hoc anno aduersus Hugonem comitem gestas persequitur. Obsident, inquit, dux & exercitus quamdam munitiorem, quam ædificauerat & tenebat Tetbaldus in loco qui dicitur Mons acutus, qui & Laudunum contra regem retinebat. Hoc etiam opidum oppugnantes tandem non sine mora capiunt. Indeque Laudunum adeunt, & in ecclesia sancti Vincentii episco-

ANNO
 CHRISTI
 943.

pi prædictum Tetbaldum excommunicant. Hugonem vero principem vocant literis ex parte Marini legati apostolicae sedis, & sua, venire ad emendationem pro malis quæ contra regem & episcopos egerat.

CONCILIVM TREVIRENSE,
 IN QVO EXCOMMVNICATVR ITERVM
 Hugo comes, Ludouici regis perduellis, cum episcopis aliquot ab Hugone Rhemenſi ordinatis, a Marino legato celebratum eodem anno DCCCCXLVIII.

Actorum ſynodalium breuiarium ex chronico Flodoardi.

POSTHÆC Artaldus Treuiros proficiſcitur ad Synodum, cum episcopis Vvidone Sueſſonico, Rodulfo Laudunenſi, & Vvicfredo Morinenſi. Quo peruenientes Marinum ſeſe præſtolantem repererunt cum Rotberto archiepiscopo Treuirenſi: ceterorum vero Lotharienſium atque Germanorum præſulem illic inuenere neminem. Conſidentibus igitur illis, ſciſcitari cœpit Marinus vicarius, quid egiffet poſt præmiſſam Synodum Hugo princeps erga ipſos & regem Ludouicum. At illi referunt ſupra memorata quæ ipſis & eccleſiis eorum intulerat mala. Requirit ergo de vocatione ipſius principis Marinus, vtrum perlatae fuiſſent literæ vocationis, quas ei perferendas delegauerat. Cui reſpondetur ab Artaldo archiepiscopo, quod quædam earum perlatae ſunt, quædam vero perferri non potuerunt, earum gerulo ab ipſis graſſatoribus intercepto: vocatus tamen fuerit tam literis quam internuntiis. Requiritur itaque, ſi adſit aliquis ex parte ipſius legatus: vbi cum nullus fuiſſet inuentus, decernitur expectandum, ſi forte aduenturus eſſet in craſtinum.

Quod cum minime contigiffet, & omnes qui aderant ſeſſio II.
 tam clerici quam illuſtres laici excommunicandum eſſe acclamarent, definitur ab episcopis hanc excommunicationem differendam vſque ad diem tertiam. Tractatur autem de episcopis qui vocati fuerant, & venire diſtulerant, vel his qui ordinationis Hugonis participes extiterant. Et Vvido quidem Sueſſonicus ſe culpabilem, pro-